

ius imitationem res sit; ita assignatur causarum numerus a philosophis; verum unum est, quod in tali causarum assignatione alia via, & modo procedere possemus, videlicet primo loco ponere, a quo sit; secundo, cuius gratia; tertio ad cuius instar; quarto, ex quo sit; quinto, per quid, videlicet quid res sit; & ratio huius assignationis secundae est, quoniam nos non possumus scire quid sit, quin prius sciamus ex quibus sit, videlicet, quatenus quidditas composita non differt a ratione quiddatum componentium, & haec facillime beneficio idea, siue exemplaris causae scire possumus; haec enim supponit finem in quem dirigitur, & finis non nisi ab efficiente intendi potest; agam tamen ego de causis solito ordine, utpote, ex quo res sit, per quid sit, a quo sit, cuius gratia sit, ad cuius imitationem res sit, quod idem est dicere, materialis, formalis, efficiens, finalis, & exemplaris; unde de singulis distincte loquor in sequenti subsectione.

12 Diuidunt aliqui magis extensiue causam in intrinsecam, & extrinsecam; intrinsecam in subiectuam, formalem, & neutram; extrinsecam in efficientem, finalem, & exemplarem; deinde finalem, in ultimam, & non ultimam, vel simpliciter, & secundum quid; efficientem autem diuidunt in primam, & secundam, & hanc in principalem, & instrumentalem; tandem in propriam & in impropriam.

13 Diuidi etiam potest causa in physicam, & intentionalem; prima est, quae per suam entitatem existentem ad effectum concurrit; unde hic accipitur, ly physicum, pro reali entitate; quarè ex hoc fit, ut Angelus sit causa physica sui motus, videlicet realis causa illius. Intentionalis vero causa dicenda est illa, quae non influit in effectum per suam entitatem, sed per alienam, videlicet in quantum existens ipsa in intellectu, potentiam, actuum mouet ad agendum; haec autem causa intentionalis, seu moralis, dupliciter etiam accipi potest, primò pro causa libera, quo pacto causæ physice non opponitur, alio modo, prout non influit in effectum, adscribitur illi tamen dictus effectus; quia illum mandat, ac præcipit.

14 Diuiditur item causa in per se, & per accidens, in æquiuocam & vniuocam. causa per se est illa, quae directe tendit in effectum ab ipsa prius intentum, ac volitum; e contra vero causa per accidens, qua etiam si operetur, illam operationem non intendebat; causa æquiuocata est illa, quae effectum non sibi similem producit, ut est Deus v. g. respectu productionis hominis,